



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Hipponensis. Et Avgvstini Iprensic De Deo  
omnes salvari volente Et Christo omnes redimente  
Homologia**

**Froidmont, Libert**

**Lovanii, 1641**

Ad Lectorem Præloqviolvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40368**

AD LECTOREM  
PRÆLOQVIOLVM.

**I**Nter articulos doctrinæ Iansenianæ à Patribus Societatis capitaliter reprehensos duo sunt peculiariter insignes, quorum alteri universam Semi-Pelagianismi machinam superstructam esse Iansenius contendit: ambos tamen ab Apostolo disertissimè traditos, & à Concilijs, Patribus, & Scholasticis unanimi consensu propugnatos adversarij nituntur ostendere. Primus & maximè fundamentalis est, de generalitate divinæ voluntatis respectu humanæ salutis: alter de universalitate redemptionis Christi respectu eorum qui in Adam perierunt. Priorem in *Thesibus Apologeticis* primo loco defendendum suscipiunt adversarij: posteriorem, secundo. Nos utrumque ex Augustini ac discipulorum ejus (inter quos Iansenium recensere non dubitamus) principia, defendere statuimus, confidentes futurum ut ubi *Ant-Apologeticas* nostras cum Apologeticis adversariorum æquis arbiter contulerit, Augustini mentem nos esse affectos, adversariosque ab ea aberrasse pronuntiaturus sit. Neque hic inquiritur an vera sint an falsa, quæ tanquam Augustini sensa proferuntur, sed utrum Augustini sint, an non? Quod profecto non aliunde meliùs indagatur, quam ex ipso Augustino, facundo satis sensuum suorum interprete. Ut tamen plenius omnibus satisfiat, discipulorum Augustini testimonia adjungimus, uti & obtrektorum Augustinianæ doctrinæ, cavillationes. Adversariorum sententias ad suos fontes reducimus, scientes à Hieronymo a scriptum esse de dogmatibus Pelagianorum, *sententias vestras prodidisse, superasse est.* Verba Augustini & discipulorum ejus ad longum recitamus, ut ex integro contextu evidentiùs appareat quid intenderint: Non

a Hier.  
in epist.  
ad Cref.



c. II.  
Non enim ignoramus, Sanctorum Patrum scripta si  
mutilè aut conturbatè citentur, alienum nonnun-  
quam sensum lectoribus ingenerare. Hinc Vincen-  
tius Lyrinensis in aureo suo adversus prophanas hæ-  
reseon novitates libello, b de priscis hæterodoxis  
agens: *Cantant, inquit, plerunque veteris cuiuspiam viri*  
*scripta paulò involutiùs edita, quæ pro sui obscuritate, do-*  
*gmatis suo quasi congruant: ut illud, nescio quid, quodcunq;*  
*proferunt: Neque primi, neque soli sentire videantur.*  
Hanc lucubratiunculam nostram, Si Tibi (candide  
lector) gratam fore perspexerimus, animum ad Au-  
gustini mentem circa cæteras materias in Iansenij (ex  
quo omnia propemodùm quæ hic tradimus, desum-  
psimus) opere, ab æmulis reprehensas, elucidandam  
applicabimus. Interea tu nostro hoc prodromo fruc-  
re. Et vale.

### C E N S U R A

**P**Ro maiori elucidatione doctrinae D. Augustini,  
Theses has Theologicas Ant-Apologeticas, contra  
quoscumque oppugnare volentes propugnandas, in  
lucem mitti posse censeo. Dat. Lovanii die 21. Iulij  
anno 1641.

JACOBUS PONTANVS S. Theol. Doctor  
& Librorum Censor.

THESES